

praeclaram vim ac religionem habere existimarent. A quo scelere ut Deus suam avocaret gentem, lege sancivit, ut cultores sui versus occidentem solem inter precandum starent, (*) ob eamque causam & templum & templi partem sanctissimam versus occidentem esse voluit, ut coetus Hebraeorum facer vultu, dum sacra siebant, & preces ad Deum habebantur, occasum solis spectaret, quo magis orientem & solem & regionem valere iuberet. Nam populus in atrio Israelis coram altari holocaustatum, sacerdotes vero, in eo, quod inter altare ac templum erat, & spatio XXIII. cubitorum comprehendebantur, constituti, utrique tamen, facie ad occidentem conversa, orabant, Ioel. II, 17. Qui vero eo usque impietatis progrediebantur, ut, cum in templo Hierosolymitano Deum precibus placare studerent, ora in orientem converterent, se a Deo avertere iudicabantur. Tristissimum atque offendiculi plenum prostat in Ezechielis tabulis VIII, 16. 17. exemplum XXV. virorum (*stationis* vulgo dictorum, qui singulis hebdomadibus ex universis Hebraeis lecti, ut sacrificio iugi pro universo populo offerendo, quotidie interessent) qui tergis ad sanctissimam aedis partem, fronte ad orientem solem conversi, tam abominandum scelus committebant, ut morum honestas, ne dicam sanctissimarum religionum pietas, pronunciare vetet. Adde, si placet, 2. Paralip. XXIX, 6. & intelliges, quantam impietatis notam contraxerint ii, qui a Paulo dicuntur οἱ Ἰων
οἱ περιεργοὶ αποστόλοι, qui Deo coelorum ac doctore cœlesti post se relicto ad coelum ipsum & exercitum coeli conversi, in turpem

(*) vide in causa dudum perorata in primis 10. EHRENFR. PFEIFFERI *observationes de dignitate occidentalis plagae in re sacra Hebraeorum*. Quicquid etiam contra rem omnium suffragiis comprobata declamat, quocunque alii ponunt, tollere paratus 10. SPENCERV de legibus Hebraeorum ritualibus lib. III, dissert. VI. cap. II. Sect. IV. p. 1229. edit. Lips.